

22. Cessat vero compromissum 1^o. revocatione facta a committentibus re integra c. 30. h. t. In hoc cap. probatur electio facta a compromissariis, quia revocatio fuerat facta 'cum res non esset integra, quia in tractatu processerant electores'. Ex quibus verbis eruitur argumentum, quod dicitur a sensu contrario. Insuper insinuat, quandonam res desinat esse integra; cum nempe tractatus de electione inceperit. Id est non sufficit præparatio ad electionem ex. gr. celebratio Missæ de Spiritu sancto, sed requiritur, ut compromissarii inceperint tractare de persona eligenda. Communiter docent auctores, re etiam integra, non posse revocari compromissum a minori parte Capituli arg. c. 1. de his qui fiunt a maj. parte Capituli.

2^o. Perimitur compromissi facultas, si compromissarii eligant indignum sive id scienter fecerint, sive ex ignorantia. Quo in casu electio non valet: capp. 7. 8. et 21. h. t. et potestas eligendi revertitur ad compromittentes. Excipitur vero casus, in quo et ipsi scienter indignum electum a compromissariis recipiant et approbent c. 37. h. t. in 6^o. Ratio prioris partis ex eo deducitur quod, peracta quomodocumque electione, compromissarii functi sunt munere suo, ac mandato expleto, nova commissio requireretur ad negotium electionis iterum peragendum. Revertitur autem ad compromittentes facultas eligendi, quia ipsi dignum eligi desiderabant, et si indignus fuit electus, id præter eorum intentionem contigit, nec culpa aliorum debet in damnum committentium retorqueri. Reg. 22. Juris in 6^o. Ratio 2^a. partis probatur ex Reg. 10. Jur. in 6^o. 'ratihibitionem retrotrahi, et mandato non est dubium comparari'. Quare etiam ipsi compromittentes ceu indignum eligentes, jure electionis pro illa vice privantur. Compromissarii autem (dummodo compromissarius non sit Episcopus), si in Episcopum aliquem indignum scienter proponant, incurrunt pœnas contra indignum eligentes statutas. Quam pœnam persolvent etiam compromittentes ratam habentes scienter electionem indigni c. 37. h. t. in 6^o. et c. 7. §. ult. h. t.

3^o. Cessat facultas compromissarii cessante tempore in mandato adsignato ad electionem faciendam, aut non servata conditione adjuncta in mandato; et facultas eligendi revertitur ad ipsos committentes c. 52. h. t. Quod si vero præterlabatur tempus utile a lege præfinitum ad electionem perficiendam, jus eligendi non ad committentes, sed ad superiorem devolvitur c. 37. h. t. in 6^o. §. 1.

4^o. Cessat facultas eligendi in compromissariis completa electione, licet non fuerit sortita effectum suum, ob quamcumque causam.

23. **Quæstio 6^a.** De qualitatibus electionis. — Quænam qualitates ipsam electionem respiciunt, quænam vero locum et tempus, quo celebrari debeat electio.

1^o. Electio debet esse prorsus libera, ceu traditur in c. 14. h. t. Quare electio facta per abusum sæcularis potestatis contra canonicam libertatem decernitur ipso jure nulla c. 43. h. t. Ut hanc libertatem tuerentur Rom. Pontifices, tantopere adlaborarunt cum Principes sæculares intuitu investiturarum conabantur jus electionis quodammodo ad se trahere et electoribus designare personam, quæ esset dignitate decoranda.

2^o. Nec ipsi Prælati ecclesiastici possunt electorum libertatem coarctare. Species et relativa decisio datur in c. 14. h. t. de Patriarcha Hierosolymitano, qui irritabat electiones in Ecclesiis sibi suffraganeis, nisi electa fuisset una inter duas personas, quas ante canonicam electionem electores debebant eidem indicare. Hanc consuetudinem abolendam esse declarat Pontifex, quia redundabat in perniciem libertatis ecclesiasticæ. Ergo nec jus confirmandi electionem potest secumferre facultatem coarctandi aliquo modo electionem.

3^o. Debet esse electio ordinarie actio collegialis, seu celebrari debet a canonicis in congregatione adunatis. Nam in cap. 'Quia propter' 42. h. t. celebranda dicitur *omnibus præsentibus*. Cui consonat c. 55. h. t. Quæ forma ab auctoribus dicitur substantialis. Hinc non sufficerent ad rite conficiendam electionem suffragia singillatim ex propria habitatione exquirentibus manifestata.

4^o. Quoad locum electio Episcopi debet celebrari intra ambitum Ecclesiæ viduatæ c. 28. h. t. et c. 25. de Appellat. Vero in cit. c. 28. adnotat Pontifex electionem juxta canonicas sanctiones, *si fieri potest* in Cathedrali Ecclesia celebrari debere. Quare, si rationabilis adsit causa, licet non gravis, alius electionis perficiendæ locus de consensu majoris partis canonicorum præsentium determinari poterit.

24. 5^o. Circa tempus perficiendæ electionis, ut ex dispositione c. 36. h. t. §. 'electionem' adnotavimus, celebrari non debet electio, antequam demortui Prælati cadaver sepulturæ fuerit traditum, nisi urgeat rationabilis causa. Perfici autem debet electio, si de

regulari vel cathedrali Ecclesia agatur, intra trimestre c. Ne pro defectu 41. h. t. Si vero sermo sit de inferioribus beneficiis, licet dignitatis honore fulgeant, tempus utile sex mensibus continetur. Quod tempus debet computari a die habitæ notitiæ mortis Prælati. Expresse traditur hæc limitatio in c. 5. de concess. Præbendæ in fin. Quam dispositionem haurire possumus etiam ex c. 3. de suppl. neglig. Prælator. Quod insuper tempus legitime impeditis non decurrit. Licet ergo trimestre præterlapsum fuerit nondum celebrata electione, dummodo electores probaverint, se fuisse justo impedimento detentos, poterunt nihilominus electionem celebrare, non computato nempe in tempore utili illo dierum lapsu, quo fuerunt impediti. Cessante autem impedimento, si ultra trimestre distulerint electionem, pro illa vice Canonici privantur jure eligendi, quod devolvitur ad superiorem, cui jus confirmandi electum competeret. Hic vero intra trimestre cum consilio capituli sui et aliorum virorum prudentium electionem conficere tenetur. Id vero docet Concilium generale in c. 41. h. t. cui consonat c. 18. h. t. in 6^o.

25. Quod si vero electio jam completa proprium non sortiatur effectum, vel quia electus non assentiatur, vel quia acceptata electioni renuntiet, vel moriatur etc., novum ac integrum tempus utile ad electionem iterandam habebunt electores c. 26. h. t. in 6^o. Ex exposita theoria sequitur, in electionis negotio posse aliquos accidere defectus, qui ejus virtuti et efficacæ seu valori opponantur.

26. Primus defectus esset personæ laicæ admissio ad suffragium ferendum. Duplex in casu fingi potest hypothesis; prima videlicet si laici per abusum electionem ipsi perficiunt, qua in hypothesis electio nulla ipso jure decernitur, et qui huic electioni in sui personam factam consentit, privatur absolute jure electionis passivæ, id est hujusmodi fiunt ineligibiles, nec ad aliquam dignitatem possunt absque dispensatione assumi cap. 43. h. t. Secunda hypothesis est, si laici admittuntur ex canonicorum consensu ad electionem cum ipsis perficiendam, quo in casu pariter electionem factam nullius esse roboris decernit Pontifex in cap. 56. h. t.

27. Alterum vitium electionis potest dari circa personam electi, si nempe indignus eligatur contra decretum cap. 7. h. t. quæ proinde electio non sustinetur. Porro optime distinguenda est inhabilitas simplex seu quæ oritur ab aliquo impedimento, quod in Ecclesiæ dedecus non vergit, ut esset ex. gr. si electus guber-

naret aliam Ecclesiam; et vera indignitas subjecti, ex. gr. si eligeretur excommunicatus, suspensus, qui plura beneficia incompatibilia actu possidet sine dispensatione cap. 54. h. t., aut qui debita scientia carent, vel laborant defectu natalium, ordinum, ætatis etc. de quibus supra vidimus. Quo in secundo casu si electio facta est scienter de indigno, electores pro illa vice privantur jure novæ electionis, quæ proinde ad superiorem devolvitur, et per triennium suspenduntur ab omnibus beneficiis quæ in Ecclesia illa viduata possident cap. 7. h. t. §. Clerici, et cap. 25. eod. titulo; quæ pœna suspensionis triennalis non est extendenda ad beneficia, quæ in aliis Ecclesiis forte possidet qui elegit indignum ex cit. c. 37. h. t. in 6^o. §. 'Restrigitur'. Interim vero idest durante triennio eligens indignum non potest ad dignitatem in Ecclesia assumi c. 26. eod.

28. 3^o. Tertium vitium in electione contingit, cum in parte substantiali non servatur forma electionis præscripta. Quo in casu et electio nulla est, et pro ea vice devolvitur ad superiorem.

29. 4^{us}. Defectus est si electionis negotium non compleatur intra tempus a jure definitum.

30. Si quæraturo vero quinam sit superior, cui devolvitur electio, cum vel ob aliquod vitium in electione admissum, vel ob negligentiam legitimi electores privantur jure eligendi; an scilicet sit superior immediatus, cui jus confirmandi electum competit, vel sit superior Princeps in Ecclesia, responsio datur a Bonif. VIII. in c. 18. h. t. in 6^o. qui distinguit inter casum in quo ex negligentia non completur electio intra tempus a jure definitum, et casum in quo vel scienter eligatur indignus, vel non servetur forma Conc. Lateran. relata in c. 42. h. t. In 1^o. casu tradit Pontifex devolvi jus electionis ad superiorem immediatum, ad quem etiam spectat officium corrigendi negligentiam Prælati inferioris prout in speciali titulo explicabitur. In 2^o. autem casu docet Pontifex electionem devolvi ad Romanum Pontificem.

31. Quædam dicenda sunt in specie de **electione Rom. Pontificis**, qua in re optime conferri potest Antonius Serafinus Camarda 1773. De elect. R. Pont. qui in unum opus omnes constitutiones collegit quæ de hac materia editæ sunt usque ab initio.

Usque ad sæculum 4^{um}. integrum nulla forsitan edita erat constitutio qua figeretur jus vel norma in electionibus perficiendis Romanorum Pontificum; sed summus Pontifex ad tramitem juris,

seu melius consuetudinis a Clero eligebatur accedente consensu populi ferentis testimonium bonæ vitæ personæ eligendæ can. ult. Distinc. 79. Ineunte vero sæc. V. post mortem Zosimi enatum Schisma occasio fuit statuendi ut si duo in discordia ordinarentur Pontifices, uterque muneri nuncium dare teneretur, et nova celebraretur electio. Dispositio hæc refertur in c. 2. dist. 97, et can. 8. distinc. 79. Sub fine sæc. V. an. 499. cautum fuit ut ille censeretur electus qui majoris partis eligentium suffragia referret can. 2. et 10. dist. 97. Sequioribus annis a VI. circiter sæculo fere usque ad sæc. X. invaluit forma electionis quæ in diurno Romanorum Pontificum legitur. In hac forma hoc præcipue adnotatur, quod nempe, peracta electione, relatio de ea ad Imperatorem fiebat, ut ejus assensus exposceretur. Hæc autem indulgentia erga Imperatores adhibita fuit ob specialem protectionem qua Imperatores Romanam Ecclesiam prosequbantur. Deinde processu temporis præsertim ex Nicolai II. constitutione ad vitanda vitia simoniæ et seditionum pericula invalescere cœpit mos ut, licet Clerus et populus in negotio electionis tractando admitteretur, tamen præcipuas partes sibi Cardinales vindicarent can. 1. dist. 23. et cann. 1. et 9. distinc. 79.

32. Tandem inducta est disciplina quæ in Decr. Gregorii IX. refertur sub c. 6. h. t. quæ est Alex. III. in Conc. Later. III. Hic legitime electus ex adverso tres antipapas habuit, qui favore Imp. Friderici suffulti Ecclesiam per octodecim annos divexarunt. Quare ut schismata removerentur, constitutionem edidit, quæ tria decernit 1º. ut electio R. Pontificis a solis Cardinalibus perficeretur, 2º. ut is electus haberetur, qui duarum ex tribus partibus suffragia referret, 3º. ut si quis a paucioribus quam a duabus partibus eligatur nisi major concordia patrum accedat, debeat abstinere a munere pontificali, ita ut secus excommunicationi subjaceat, et totius sacri ordinis privatione mulctetur. Ex qua constitutione nova inducta est disciplina electionis, quæ adhuc servatur.

33. Gregorius X. in Conc. Lugdun. an. 1273. aliam edidit constitutionem pro celebranda electione Rom. Pontificis et legitur in c. 3. h. t. in 6º. In quo cap. designatur locus celebrationis electionis, et est, si fieri potest, vel urbs vel Diœcesis in qua demortuus est Pontifex, designaturque disciplina Conclavis circa victum et circa prohibitionem commercii Cardinalium cum extraneis personis a Conclavi. Confirmata fuit hæc constitutio a

Clemente V. in Clem. 2. de elect. a Clemente VI. Const. *Licet* an. 1351. a Julio II. an. 1503. in Const. *Cum tam divino*. Præterea novam edidit constitutionem Paulus IV. 17. Kal. Jan. 1558. *Cum secundum Apostolum* qua prohibuit ne vivente adhuc Pontifice, de electione novi Pontificis tractaretur. Insuper de electione sum. Pontificis egerunt Pius IV. in Const. *In eligendis* 1562. Gregorius XV. in Const. *Æterni Patris* 1621. Alexander VII. Const. *Inter ceteras* an. 1669. et Innocentius XII. in Const. *Romanum decet*. an. 1692.

34. Ex hisce constitutionibus tria in electione Rom. Pontificis observanda in specie sequuntur. Primum singulare est ut etiam Cardinales excommunicati, suspensi aut interdicti admittantur ad electionem faciendam Clem. 2. h. t. In Const. autem Pii IV. quæ incipit *In eligendis* decernitur prætextu censurarum Cardinales privari non posse jure activæ vel passivæ electionis, quæ censuræ suspenduntur ad effectum electionis ipsius. — Secunda animadversio refertur ad tempus. Ex Const. Gregorii X. in c. 3. h. t. in 6º. et ex Const. Pii IV. *In eligendis* lapsis decem diebus ex morte Pontificis, Cardinales in Curia præsentis Conclave ingredi tenentur, atque illico in negotio electionis procedere, absentibus ex quacumque causa non expectatis. Qui absentes cum venerint si nondum electio facta est admittuntur, si vero jam fuerit completa, eam revereri ac acceptam habere debent. Tempus autem intra quod electio debeat compleri definitum non est. Jus enim eligendi Rom. Pont. proprium est et exclusivum S. R. E. Cardinalium, quod jus devolvi non potest ad aliquem superiorem saltem ordinarium, qui suppleat negligentiam eorum. Ad summum enim posset ab aliquibus objici Concilium generale tempore sedis vacantis representare posse superiorem potestatem in Ecclesia. Attamen generale Concilium (omissa etiam tantisper quæstione, utrum sede apostolica vacante, concilium œcumenicum dari possit) non offerret medium ordinarium quo brevitati electionis consuleretur. Nam concilium generale solummodo ex peculiaribus circumstantiis extraordinarie adunatur. Cum vero electio Pontificis sit ordinaria, quemadmodum ordinaria res est vacatio Romanæ sedis, non potest relinqui sub incerta dispositione medii extraordinarii, prout est Concilium œcumenicum. Hodie autem juridica quæstio resoluta est a Pio IX. S. M. in Const. *Cum Romanus Pontifex* edita pridie Nonas Decembris 1869. In ea statuitur, ut si quibuscumque futuris

temporibus, Romanus Pontifex demoriatur pendente alicujus Concilii generalis celebratione, electio novi Pontificis a Collegio S. R. E. Cardinalium exclusive perficiatur. Insuper ut hujus juris exclusivi observantiæ consuleretur, in eadem Constitutione decernitur, ut accepta certa notitia de morte Pontificis, suspensum intelligatur ipsum Concilium, et tamdiu dilatatum, quoadusque novus Pontifex canonice electus illud iterum coadunari et continuari mandaverit. Igitur exclusa hodie prorsus est via devolutionis ad Concilium in casu quo diu protrahatur a Cardinalibus electio Pontificis, et per consequens dicendum est in jure non definiri tempus utile et peremptorium ad electionem Pontificis explendam. Grave autem onus urget Cardinales, ut citius quo fieri potest negotium electionis persolvant. Gregorius insuper X. in cit. c. 3. h. t. in 6^o. decernit ut si post triduum ab ingressu Conclavis electio facta non sit Cardinalibus unius feruli prandium et cœna relinquatur ad alios quinque dies, quibus transactis, infecta electione, panis, vinum et aqua usque ad perfectam electionem iisdem tantummodo administrantur.

35. Tertia specialis dispositio in electione Romani Pontificis respicit accessum. Ipse Alexander III. in c. 6. h. t. tradit eum qui retulit minorem præ duabus tertiis partibus suffragiorum posse eligi, si alii accedant suffragio suo Cardinales usque ad binas tertias partes suffragiorum. Hanc rem fusius enucleavit et definivit Gregorius XV. in Const. quæ incipit *Æterni Patris*. In hac Constitutione decrevit, ut publicatis a scrutatoribus suffragiis in schedis descriptis Cardinales possint accedere scripto suffragio in nova scheda in electionem illius qui aliquod saltem suffragium obtinuit. In accessu autem non possunt Cardinales iterum dare suffragium illi, cui jam dederant in scrutinio. Si computatis suffragiis habitis in prioribus schedis, et in novis, quis in eodem scrutinio referat binas tertias partes suffragiorum, censetur electus, secus schedæ comburuntur, et iterum negotium electionis in alio scrutinio suscipitur. Accessus hic solummodo in electione Rom. Pontificis observatur. In aliis enim electionibus Prælatorum, publicatis suffragiis, si nemo fuit a majori et saniori parte electus, iterum renovatur scrutinium.

36. De electione Prælatorum Regularium. — Principii loco statuendum est in hac electione servandas esse peculiare cujusque ordinis constitutiones a S. Sede confirmatas, exceptis iis, quæ a

jure communi in omnibus ordinibus servanda præcipiuntur, nec auctoritate apostolica correctæ fuerunt. — Et primo ut quis jus eligendi habeat debet esse professus in Conventu cujus Prælatum est eligendus arg. c. 1. h. t. 2^o. Debet esse saltem in sacro subdiaconatus ordine constitutus Clement. 2. De ætat. qual. et ex c. 4. sess. 22. De Ref. in Conc. Trid.

Excluduntur autem 1^o. Conversi laici nisi sermo sit de ordine in quo soli essent conversi laici ex c. 32. h. t. in 6^o. et glossa in v. 'cum Clericos'. 2^o. Mendicantes qui etiam cum apostolico beneplacito ad ordinem non mendicantium transierint Clem. 1. de Reg. — 3^o. Ex c. 2. sess. 25. de Regul. per biennium privantur facultate eligendi Religiosi qui votum paupertatis violaverunt.

Ut vero quis possit in prælatum assumi præter qualitates generales eligendorum, necesse est ut sit in eodem ordine professus c. 49. h. t. Quæ professio debet esse expressa, nec tacita sufficeret. c. 28. h. t. in 6^o. et Conc. Trid. sess. 25. De Reg. c. 21.

37. De Monialibus. — Norma electionis Abbatissæ vel Priorissæ quæ regimen exercet in Monasterio traditur in c. 43. h. t. in 6. in quo statuitur ut moniales eligentes debeant saltem 12 annorum ætatem habere, quæ professionem vel tacitam vel expressam fecerint. Porro ea censetur electa, quæ duas tertias partes suffragiorum retulerit. Facto autem scrutinio dari potest accessio aliarum monialium, ut eligatur monialis, quæ aliqua suffragia obtinuit. Correcta hæc constitutio est a Conc. Trid. sess. 25. de Reg. c. 15. ubi ætatem professionis decimum sextum completum annum constituit.

Quoad vero eligendam statuit cit. c. 43 ut electa expleverit annum 30. et expresse professa fuerit ordinem regularem. Concilium vero Trid. c. 7. sess. 25. de Reg. decernit ut Abbatissa vel Priorissa eligatur non minor ætate annorum 40 quæ octo saltem annis post professionem expressam in Monasterio laudabiliter vixerit. Quod si idonea in Monasterio non reperiatur, potest ex alio ejusdem ordinis assumi. Quod si id videatur incommodum illi qui electioni præest, concedit eidem S. Synodus facultatem ex eodem Monasterio idoneam eligendi, quæ tamen trigesimum ætatis annum expleverit, ac quinque annis in religione post factam professionem laudabiliter vixerit.

Tandem forma electionis perficiendæ tum Prælatorum Regularium tum Abbatissarum vel Priorissarum determinatur a Conc.

Trid. sess. 25. de Reg. c. 6. Et est ut perficiatur per vota secreta, ita ut eligentium nomina nunquam publicentur.

38. De publicatione scrutinii. — Præter publicationem votorum quæ fuerint collecta juxta c. 42. h. t. ubi dicitur 'vota cunctorum in scriptis redacta mox publicent in communi', datur alia publicatio scrutinii, et perficitur cum, cognito suffragiorum legitimo numero in aliquem concurrente, decretum de peracta electione scribitur et solemniter promulgatur juxta cap. 42. cit. in §. fin. Hoc decretum peractum intra octo dies debet electo intimari, secluso tamen impedimento legitimo; alias a prosecutione electionis prohibentur electores pro ea vice et per triennium ab omnibus beneficiis in eadem ecclesia suspenduntur ipso jure c. 16. §. cæterum h. t. in 6º.

39. Porro electus intra mensem debet declarare utrum assentiatur vel non, secus ab omni jure excidit quod sibi ex ipsa electione obvenerat. Ita in eodem c. 16. h. t. in 6. Si vero electus a superiore suo veniam exposcere teneatur, hanc quam cito exquirere debet c. 6. h. t. in 6. et Extrav. 2. h. t. inter Communes, et mensis ad deliberandum incipit decurrere ab obtento superioris assensu. Electus præstito electioni in suam personam consensu, oneri subjicitur petendi confirmationem; tempus autem utile et peremptorium est trimestre c. 6. h. t. in 6º. Pœna peremptionis electionis est latæ sententiæ; ut enim adnotat Glossa v. 'vacuetur' in d. cap. Pontifex ait 'eo ipso viribus vacuetur' electio. Quare confirmatio posterius obtenta nihil valet. Quod si agatur de electione ad Cathedralē vel Regularem Ecclesiam cujus confirmatio est propria S. Sedis, electus intra mensem post acceptatam electionem, iter aggredi tenetur ad S. Sedem cum omnibus actibus, vel saltem deputare debet specialem procuratorem satis instructum, qui electi nomine expostulet confirmationem c. 16. h. t. in 6º. et Clem. 2. §. ult. h. t.

40. Competit vero electo 1º. jus ad petendam confirmationem a Superiore c. 3. h. t.; qui si renuerit, poterit per alium Superiorem adstringi ad electum confirmandum, si nihil canonicum obviet. Nihil autem obviat a) quando electio rite celebrata est, idest juxta formam sacrorum canonum, et b) quando electus indignus non est. — 2º. Electo competit jus ad ipsam prælaturam. Quærent auctores utrum jus electi respiciens ipsam prælaturam sit in re, vel solum ad rem. *Jus in re* confunditur cum dominio

rei, et is hoc jure potitur, qui rem habet uti propriam, nec ab altero legitime, eo invito, possideri potest. *Jus ad rem* est illud quo quis petere potest ut res sibi adjudicetur et concedatur, quamvis ab alio fortasse legitime possideatur. Communior inter Doctores sententia obtinet, qua statuitur electionem tribuere jus ad rem, seu ad habendam prælaturam, nec esse verum prælatum proprietarium. Si enim attendamus ad juris expressiones, habemus in c. 16. de Accusationib. electum non appellari promotum sed promovendum. 2º. Si electus ante confirmationem supremum obeat diem, non ex ejus morte vacare dicitur prælatura, sed censetur adhuc perdurare prima vacatio arg. c. 6. h. t. in 6º. et docet Glossa in Clem. 1. Ut lite pendente v. Collatio. 3º. Matrimonium adhuc ratum seu legitimum et verum inter electum et Ecclesiam non censetur per electionem initum fuisse c. ult. de transl. Episcopi. Hinc potest libere renunciare, nec tenetur superioris acceptantis renuntiationem assensum expectare c. 26. h. t. in 6º. et Glossa ib. Sed quod magis est, ipsi contrariæ sententiæ patroni fatentur electo competere jus in re solummodo in habitu, non autem in actu, ita ut electio conferat jus, non vero juris exercitium. Porro hujusmodi expressiones in negotio electionis satis superque demonstrant, electum censeri non posse ceu verum Prælatum, nec sese uti talem gerere posse, sed solummodo habere jus ad prælaturam.

41. Hinc electo non confirmato interdicitur administratio prælaturæ c. 18. de Præb. et Dignit. et c. 5. h. t. in 6º. Hinc c. 17. h. t. reprobatur electus nondum confirmatus quia receperat juramenta a laicis vel clericis, et in c. 9. eod. concessionem beneficiorum factæ ab electo irritæ declarantur. Hinc etiam qui ante confirmationem præsumpserint sese ingerere in administratione dignitatis etiam titulo œconomatus aut titulo procuratoris, ipso jure privantur dignitate ipsa c. 5. h. t. in 6º. Quæ pœna privationis saltem ferendæ sententiæ jam fuerat constituta ab Innocentio III. in c. 17. h. t. Quod de electione et de interdicta electo administratione diximus, a fortiori dicendum de persona juxta hodiernos mores præsentata a supremis Principibus ut ad Episcopales Cathedras promoveantur a Rom. Pontifice. Exceptio datur in c. 44. h. t. §. 'Cæterum', quoad Episcopos qui immediate dependentes a Sede Apostolica ab eadem confirmationem exposcere tenentur. Hi enim si in remotis regionibus versentur, idest ultra Italiam, possunt in spiritualibus et temporalibus propter necessitatis et utilitatis ratio-